

cuntur Sacramentalia. *Suar.* in P. 3. D. 15. q. 65. Sect. 1. Horum sex solent numerari comprehensa hoc versu: *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens*: quibus significatur. 1. *Oratio Fidelium*, praesertim *Dominica*. 2. *Aspersio Aquae Benedictae*. 3. *Manducatio*, aut alius pius usus rei benedictae. 4. *Confessio generalis*, Confiteor Deo Omnipotenti, B. M. S. V., aut publica, quae olim erat in usu, qualis etiam hodie post conciones a populo et concionatore solet recitari. 5. *Largitio eleemosynae*. 6. *Benedictiones variae*, v. g. aquae, vini, cereorum, vestium, virginum, Abbatum. Quod autem Ecclesia habeat potestatem instituendi Sacramentalia, constat ex perpetua praxi. Colligitur aperte ex *Trid.* sess. 21. c. 2. *Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Hinc etiam graviter obligat ministros ad observandos ritus, ut dictum est n. 86.

113. De Sacramentalibus vide *Bellarm.* L. 2. de Sacram. in gen. c. 29., item L. 3. de cultu SS. c. 7. ubi de usu aquae benedictae agit; antiquum ordinem Romanum editum a *Mabillonio*: de pane benedicto sive Elogiis. *S. Aug.* lib. 2. de peccatorum meritis c. 26. Porro rituum externorum usus confirmatur exemplo Christi, qui *Joan.* 20. v. 22. *insufflavit*, et dixit Apostolis: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis ... Marci* 7. v. 33. *misit digitos suos in auriculas ejus, et exspuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in coelum ingenuit etc.*

114. Q. II. In quem finem utitur Ecclesia Sacramentalibus, et variis ritibus externis? R. Ut supra n. 86. Aurea addo verba *Trid.* sess. 22. c. 5. *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustollri; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam ... instituit: caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes Fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Ergo sic ait *Suar.* l. c. omnes hae caeremoniae, hac intentione instituuntur et observantur ab Ecclesia, ut ipse Sacramentorum, vel Sacrificii usus majori cum reverentia, ac devotione fiat, ut juvent intellectus imbecillitatem, instruant rudes, moveant voluntatem, revocent in memoriam mysteria redēptionis, excitent fidem, et nutriant reverentiam erga sancta mysteria, eorumque dignitatem instillent. Ergo eorum institutio sancta, et usus fidelibus est utilissimus. Caveant proinde Ministri Ecclesiae, ne neglectim ac contemptim ritus et caeremonias peragendo piam Matrem suo fine defraudent, Fideles aequē ac infideles scandalizent, et sancta fidei mysteria ludibrio exponant.

115. Q. III. An Sacramentalia habeant effectum aliquem, et quidem ex opere operato? R. 1. Illa, quae sunt instituta ad puram significationem mysterii, vel ad ornatum, vel ad decentiorem administrationem aut suspicionem Sacramentorum, per se non producunt speciale effectum; unde per illa principaliter protestamur fidem nostram, et exercitia Religionis decenter agimus.

116. R. 2. Effectus, qui solent attribui Sacramentalibus, sunt potissimum sequentes: 1. Aliquod auxilium, vel bonus motus gratiae. 2. Remissio culpae saltem venialis. 3. Remissio alicujus poenae temporalis, cuius reatus manere solet remissa culpa. 4. Daemonis expulsio, vel cohäsio, ne laedat per se, vel per maleficia. 5. Aliquod commodum temporale,

ut sanitas vel aliquid hujusmodi. Quem effectum particularem hoc, vel illud Sacramentale specialiter possit producere, colligendum est ex singulorum institutione, ex modo et orationibus Ecclesiae, quibus conficiuntur; non enim singula instituta sunt ad eundem finem singularem, quamvis omnia tendant ad cultum divinum, *Suarez* in 3. P. D. 15. q. 65. sect. 4.

117. R. 3. Sacramentalia non conferunt gratiam ex opere operato; quia talis efficacia tantum propria est Sacramentis. *Confirm.* Sicut Ecclesia non potest instituere Sacraenta, ita Sacramentalibus, quae ab ipsa instituuntur, non potest virtutem tribuere conferendi gratiam ex opere operato. Itaque Sacramentalia ex Ecclesiae precibus *per modum impetrationis speciale vim obtinent ad hunc vel illum effectum, ad quem in benedictione specialiter ordinantur per orationem Ecclesiae; dum scil. Fideles pie illa adhibent, precibus et suffragiis Ecclesiae adjuti facilius gratias actuales a Deo impetrant, doloris motum concipiunt, vel a malo liberantur.* *Probatur* haec vis ex ipsis Ecclesiae precibus, quae apud Deum absque dubio magnam vim habent; diligit enim eam tanquam sponsam. Hic tamen effectus non est infallibilis, quia non fundatur in speciali aliqua promissione. Ita *Suar.* l. c.

## TRACTATUS II.

### DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS IN SPECIE.

#### CAPUT I. De Baptismo.

##### §. I. Quaestiones præviae.

118. Q. I. Quid sit baptismus in genere, et quotuplex? R. 1. Baptismus a graeco *βαπτιζω* mergo, intingo in aqua, lavo, abluo, significat immersionem, vel intinctionem, vel ablutionem, ut constat ex *Marci* 7. v. 4. et *Luc.* 11. v. 38. Hic sumitur pro ablutione pertinente ad Religionem, estque triplex. 1. Baptismus *Sanguinis*, scil. Martyrium; qui est perpessio mortis, vel cruciatuſ lethalis pro fide Christi; unde requiritur ad Martyrium 1. vel mors ipsa, vel saltem cruciatuſ illativus mortis: exemplum habe in *S. Joanne Evang.* 2. Perpessio ob fidem Christi. 3. Illatio mortis vel cruciatuſ in odium fidei, quod etiam tunc censetur fieri, quando mors propter opus, vel defensionem alicujus virtutis Christianae infertur, nam *omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quedam protestationes fidei*, ut ait *S. Th.* 2. 2. q. 124. a. 5. Exemplum habe in *S. Jo. Bapt.* Porro Martyrium in adultis requirit voluntariam acceptationem mortis (sufficit tamen voluntas habitualiter perseverans) et quidem ex motivo supernaturali; alioquin nec esset in adulto confessio fidei, nec actus virtutis Christianae: Martyr autem significat testem veritatis fidei. Juxta Communem, Martyrium in adultis remittit omnem culpam et poenam. Hinc c. *Cum Marthae*, §. fin. de celebr. Miss. dicitur: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Praeterea ad justificationem in Martyrio multi cum *S. Aug.*, *Bernardo*, *S. Th.* 3. P. q. 66. a. 12. ad 2., *s. Bonav.* et aliis requirunt contritionem sive actum charitatis. Alii vero cum *Cajet.*, *Soto*, *Bellar.*, *Suar.*, *Bonac.* dicunt sufficere attritionem, sicut in Baptismo adulti: juxta hos tamen Martyrium non justificat ex opere operato, ut Sacraenta, sed ex quodam privilegio, vel imitatione passionis Christi. Vide *La Croix* L. 6. p. 1. n. 238. Infantes autem per solum Martyrium salvari, docet communis Catholicorum: sic Ecclesia de parvulis ab Herode occisis orat: *Deus, cuius .... praeconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo*

*confessi sunt.* 2. Baptismus *Flaminis*: qui est perfecta contritio, vel amor Dei super omnia; ad Baptismum Flaminis non requiritur expressum votum vel desiderium Baptismi aquae, sed sufficit implicitum, inclusum in voluntate servandi omnia praecpta Dei, inter quae etiam continetur praeceptum baptismi suscipiendi. Attritio autem cum expresso voto Baptismi non sufficit, quia non justificat sine Sacramento, vel Martyrio. Ita *La Croix* L. 6. p. 1. n. 244. Baptismus Sanguinis et Flaminis non imprimunt characterem. Hic Baptismus eatenus aequivalet Baptismo fluminis, quatenus eundem praestat effectum, scil. justificationem, quem praestat Sacramentum Baptismi; amori enim Dei promissam esse justificationem satis patet ex Scriptura: *Ego diligentes me diligere*. Prov. 8., et contritionem perfectam ait *Trid.* sess. 14. c. 4. hominem Deo conciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiatur. Idem etiam patet ex propositione 70. Baj. damnata, quae ita sonat: *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem, et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.* 3. *Fluminis*, sive Baptismus aquae, quod est primum N. L. Sacramentum. Hic alias dicitur Baptismus *in re*, alii duo *in voto*.

119. R. 2. Baptismus aquae in Catechismo Rom. p. 2. c. 2. n. 4. dicitur *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Alias communiter a TT. definitur: *Primum maximeque necessarium L. N. Sacramentum ad spiritualem hominis regenerationem a Christo institutum.* 1. Dicitur *primum*, quia per Baptismum homo fit capax recipiendi caetera Sacraenta: hinc apud *Dion.* c. 2. de Eccl. Hier. vocatur *Principium et janua Sacramentorum*. 2. Dicitur *maxime necessarium*: juxta illud *Joan.* 3. 5. *Respondit Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et *Trid.* sess. 7. Can. 5. de Bapt. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, h. e. non necessarium ad salutem, anathema sit.* 3. Dicitur *L. N. Sacramentum*. Vide n. 2. ubi probatur ex *Trid.* Probatur etiam ratione: ad Sacramentum N. L. tria requiruntur; 1., ut sit signum externum, vel ritus externus. 2. Ut hoc signum sit a Christo institutum, addunt alii, cum mandato illud observandi. 3. ut sit signum efficax invisibilis gratiae: atqui haec tria habentur in Baptismo, scil. ablutio per aquam sub invocatione SS. Trinitatis est signum, et ritus externus institutus a Christo significans ablutionem animae a peccato originali: ut patet ex cit. verbis Christi, et alibi: habet promissionem gratiae, hinc ad Tit. 3. Apostolus ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti: denique mandatum illam ablutionem observandi habetur Joan. c. 3. supra cit. et Matth. 28. 19. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in Nomine Pat. et Fil. et Spir. S.*

120. Q. II. Quando Christus instituerit Baptismum? R. Certo tempus determinatum neque ex Scriptura, neque ex traditione assignatur; communiter tamen cum *S. Th.* P. 3. q. 66. a. 2. in corp. docent, Christum instituisse Baptisma ante passionem suam, et quidem probabiliter eo ipso die, quo baptizatus fuit a Joanne. *Suar.* hic. D. 19. Sect. 1. et 2., *Laym.* L. 5. t. 2. c. 2. *Ratio* est, quia *Joan.* 3. v. 22. legitur: *Post haec venit Jesus, et Discipuli ejus in Iudeam terram, et demorabatur cum eis, et baptizabat, scil. per discipulos, ut innuitur c. 4. ibid. quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus;* ergo, cum discipuli Christijam ante Passionem administrarent Baptismum, ejus institutio etiam ante Passionem debet supponi. Alii cum *Ruperto* dicunt, Sacramentum Baptismi institutum a Christo fuisse post resurrectionem, quando Christus Matth. 28. dixit: *Euntes ergo etc.* Sed hoc mandatum videtur potius se extendere ad promul-

gationem Baptismi. De hoc in Theol. Schol. et Polem. De secundo ait *S. Ambr.* L. 2. in *Lucam* c. ult. *Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed aquas mundare, ut.... Baptismatis jus haberent.*

121. Q. III. An, et quale sit discrimen inter Baptismum Christi, et Joannis? R. 1. Est discrimen: Patet ex *Trid.* sess. 7. can. 1. de Bapt. *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.* R. 2. Discrimen assignat breviter, ac nervose *Benedictus XIV.* p. 1. de Festis D. N. J. C. n. 49. *Uno verbo: tria sunt Baptismata, quorum meminit Scriptura: primum erat Iudaeorum, nimurum saera quaedam caeremonia, qua vel se praeparabant, si quid incoptarent, vel ad aliquam legalem maculam eluendam utebantur: alterum est Baptisma Joannis, quo homines ad sanctificationem per Christi Baptismum suscipiendam praeparabantur: tertium denique est Jesu Christi Baptisma, vi sanctificandi, et remittendi peccata praeditum.* Discrimen ipse S. Joannes apud *Matth.* cap. 3. v. 11. assignat dicens: *Ego quidem baptizo vos in aqua in Poenitentiam.... ipse vos baptizabit in Spiritu S. et igni.* Ergo cum Baptismus Joannis non contulerit Spiritum S., per se nullam habuit vim peccatum delendi. Confirm. ex *S. Chrysost.* qui hom. 10. in *Matth.* ait: *Spiritus S. gratia in Christi Baptismate est, Joannis vero Baptisma hac donatione privatur.* S. Aug. t. 5. in *Joan.* et 1. 5. de Bapt. c. 9. ita ratio-  
cinatur: Juxta c. 19. Act. Discipuli tincti solo Baptismate Joannis jubentur baptizari Baptismo Christi; ergo non est idem Baptismus. Denique Baptismus Joannis tantum conferebatur adultis, quia erat Baptismus poenitentiae (*Marci* 1.) cujus non sunt capaces parvuli: Baptismus autem Christi etiam confertur parvulis; ex his omnibus liquet, illum tantum fuisse caeremoniale, non causativum gratiae ex opere operato, hunc autem esse vere Sacramentum.

122. Q. IV. Quinam sint effectus Sacramenti Baptismi? R. primo: Confert remissionem omnium peccatorum tum originalis, tum actualium (si homo adultus in iis sit constitutus), tum poenarum. Secundo, confert gratiam sanctificantem, si non adsit obex, una cum virtutibus Theologicis infusis Fide, Spe, et Charitate. Tertio, imprimet characterem indeleibilem. Primum innuit Apost. ad *Rom.* 8. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Confirm. Ex *S. Hier.* in epist. 83. ad Oceanum: *Omnia in Baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam Judicis est metuenda severitas, dicente Apostolo: et haec quidem fuitis, sed abluti estis.* Hinc etiam recte damnata est ab Alex. VIII. propositio 19. *Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.* De poenis *Eugenius IV.* in Decreto pro Armenis ait: *Baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regna colorum et Dei visionem perveniunt.* Remanet quidem in Baptizatis fomes, et concupiscentia, quam Apostolus *Rom.* 6. 7. et 8. vocat peccatum, non quod vere et proprie peccatum sit, sed *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat*, ut ait *Trid.* sess. 5. can. 5. in Decr. de peccato originali: adeoque per Baptismum remittitur omnis reatus tum culpae, tum poenae, non autem restituitur homo integritati status innocentiae, qui praeter gratiam sanctificantem habebat perfectam subordinationem partis inferioris cum superiore, et immunitatem a qua-  
cumque miseria, v. g. morbis, morte corporali etc. quae potius vocari debent poenitentias quam poenae. *Suar.* in 3. D. 26. Sect. 1. ubi addit, quod nomine poenitentiarum intelligentur illi defectus, qui secundum se ex principiis naturae oriuntur, essentque in homine condito in puris natura-  
libus, cuiusmodi sunt morbi et mors, inordinatio potentiarum, concupis-

centia etc. Quibus defectibus subventum erat per originalem justitiam, quam cum genus humanum in Protoparente amiserit, hinc isti defectus in homine lapso non censentur mere naturales, sed poenales et per peccatum originale contracti, ut distinguantur ab illis poenis proprie dictis, quae ita sunt a divina justitia impositae, ut ex principiis naturae non orientur, quales sunt poenae inferni aut purgatorii, et haec remittuntur per Baptismum.

123. *Secundum*, quod per Baptismum infundatur gratia, patet ex Apost. 1. Cor. 6. *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in Nomine D. N. J. C. et in Spiritu Dei nostri.* Uterque effectus probatur ex Trid. sess. 5. de pecc. orig. can. 5. *Si quis per Jesu C. D. N. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet... anathema sit:* ibid. addit, quod ii qui vere conseptuli sunt cum Christo per Baptisma in mortem, sint effecti innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti... haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Sess. 6. C. 7. docet: *unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, et Charitatem.* Intuitu hujus gratiae conferuntur suo tempore gratiae actuales fini hujus Sacramenti accommodatae, scil. ad ducendam vitam christianam et sanctam, ut decet filios Dei adoptivos, et cohaeredes Christi.

124. *Tertium*, quod Baptismus imprimat characterem, patet ex Trid. supra n. 3. cit. Fundamentum id asserendi etiam desumitur ex 2. ad. Cor. c. 1. v. 22. *Qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

125. *Adverte.* Hic character non tantum distinguit baptizatum a non baptizato, sed etiam ornat, et illustrat baptizatum, cum sit signum eximiae dignitatis. Audi S. Chrysost. in illa verba ad Ephes. 1. v. 13. *in quo signati estis Spiritu promissionis Sancto, hom. 2. ita disserentem: non jam dicit, quod a caeteris sepositi sint tantum aut delecti, sed quia etiam signati, quemadmodum si quis eos, quos sortito sibi comparavit, velit aliqua familiari nota notiores reddere. Signati sunt etiam Israelitae, sed corporali circumcisionis nota, ut pecora et bruta, nos signati sumus ut filii.*

126. Praeter hos effectus primarios per Baptismum homo fit membrum Ecclesiae, et unitur moraliter Christo tanquam capiti, *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ad Gal. 3. v. 27. Item per Baptismum fit capax recipiendi alia Sacraenta, particeps meritorum Christi et bonorum operum in Ecclesia. Baptizatus vero contrahit obligationem servandi mandata Dei et Ecclesiae, et ducendi vitam christianam, h. e. consentaneam doctrinae et exemplo Christi.

127. Q. V. Quomodo Sacramentum Baptismi sit necessarium ad salutem? R. Est necessarium necessitate medii vel in re, vel saltem in voto; vide dicta n. 119. Adde ex Trid. sess. 6. C. 3. *Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti;... ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur.* Sess. 5. Can. 3. de pecc. orig. anathematizat illum qui asserit, peccatum originale vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium tolli, quam per meritum J. C. D. N., aut qui negat ipsum Christi meritum per Baptismi Sacramentum... tam adultis, quam parvulis applicari. Et sess. 6. C. 4. ait: *quae quidem translatio, scil. in statum gratiae, post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.* Huc etiam pertinet Can. 4. sess. 7. ejusd. Trid. S. Ambr. L. 2. de Abraham C. ult. in illa verba Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit etc.* ait: *Nullum excipit, non infantem, non aliqua necessitate praeventum.*

128. *Dixi vel in re, vel in voto:* supplet enim Baptismum fluminis Martyrium, sive Baptismus Sanguinis. Ut constat ex perpetua traditione. Confirm. ex S. Aug. qui L. 13. de Civ. Dei C. 7. ait: *Quicumque... non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.* 2. Interveniente impotentiā suscipiendo Baptismi Sacramentum, supplet Baptismum fluminis Baptismus flaminis, qui juxta n. 118. consistit in perfecta contritione, vel perfecto amore Dei super omnia cum voto, vel desiderio Baptismi fluminis, eoque vel explicito vel implicito, quatenus amans Deum tanquam summum Bonum propter se ipsum super omnia, habet voluntatem implendi omnia praeepta; ergo etiam paratam habet voluntatem suscipiendo Baptismum, si posset. Rem totam egregie expavit S. Th. q. 68. a. 2. in corp. *Sacramentum Baptismi dupliciter alicui potest deesse: uno modo et re et voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt... hi, quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi non possunt...* Alio modo potest Sacramentum Baptismi alicui deesse re, sed non voto, sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte, antequam Baptismum suscipiat, et talis sine Baptismo actuali salutem consequi potest propter desiderium Baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante.... unde Ambrosius de Valentianino, qui catechumenus mortuus fuit: quem regeneratus eram, amisi; verumtamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit. Vide Suar. in P. 3. D. 27. Sect. 2. Votum explicitum exigit Card. de Laurea. disp. 13. De Sacram. Bapt. n. 46. Pro sufficientia voti impliciti stat Laym. L. 5. T. 2. C. 6. Gobat., Mastrius, qui tamen non rejiciendam putat distinctionem, scil. quod si homo sciat fidem Christianam, et necessitatem Baptismi, debeat elicere votum explicitum: si vero ignoret, sufficiat implicitum in amore perfecto. Item si quis sciat quidem necessitatem Baptismi, sed in amore Dei ita se exerceat, ut non attendat ad actum desiderii, talis adhuc justificatur ex amore et implicito voto: secus si studio votum negligat aut excludat, quia tunc nequidem talis habet perfectum amorem.

## §. II. Principia practica de Baptismo rite conferendo, et suscipiendo.

129. Princ. 1. *Materia remota Baptismi est sola aqua vera et naturalis, sive elementaris, usualis et proxime apta ad abluendum.* Est de fide ex illo Joan. 3. jam cit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Sic etiam definitur in C. Lat. c. Firmiter §. 3. in C. Flor. in Decr. Eugenii; in C. Trid. sess. 7. can. 2. *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C. nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S. ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Quod ipsi Apostoli non aquam metaphoricam, sed veram et naturalem intellexerint determinatam a Christo, constat ex act. 8. ubi, postquam Philippus asseruit necessitatem Baptismi, Eunuchus respondit: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari... descendenteruntque uterque in aquam: et baptizavit eum.* Quaenam hic et nunc sit aqua certo aut dubie sufficiens, vid. in resol. cas.

130. *Materia proxima est ablutio per aquam.* Prob. 1. ex verbis Christi Matth. 28. *Baptizantes eos, h. e. abluentes, lavantes eos.* Confirm. ex c. 5. ad Ephes. mundans eam lavacro aquae. Prob. etiam ratione: illa est materia proxima Baptismi, quae per formam Baptismi proxime determinatur ad significationem practicam gratiae: atqui ablutio sic determinatur, quia per τὸ Baptizo aqua non secundum se, sed ejus usus ad abluendum determinatur. Porro nomine ablutionis intelligitur talis applicatio aquae, qualis

in aestimatione hominum, et juxta sensum Ecclesiae est necessaria ad hoc, ut homo dicatur vere lotus sive ablutus. Fit autem ablutio valide tribus modis, scil. *infusione, immersione tripla vel unica, et aspersione*; quaelibet enim est vera ablutio: in praxi tamen servari debet modus ablutionis in unaquaque Ecclesia usitatus. Sic in Agenda ad usum Ecclesiarum Metropolitanarum Moguntinae, et Cathedralium Heribpolensis, et Wormatiensis jussu E. et R. Archiepiscopi Joannis Philippi edita hic modus praescribitur: *Sacerdos vasculo, seu urceolo, aut cava manu accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens semel tantum distinete et attente dicit: N. ego te baptizo in nomine Patris + fundat primo, et Filii +, fundat secundo, et Spiritus + Sancti, fundat tertio.*

131. *Princ. II. Forma Baptismi in Ecclesia Latina valida atque legitima est: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Eruitur ex C. 28. *Matth.* saepe cit. *baptizantes eos etc.* Ita quoque traditur in C. *Flor.* in Decreto *Eugenii*. In qua forma verba essentialia sunt *primo, Baptizo te. Prob. ex propos. 27. ab Alex. VIII. damnata. Conf. ex c. si quis 1. De Baptismo, ubi Alex. III. decernit: Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine P., et F., et S. S. amen, et non dixerit: Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen: non est puer baptizatus. Confirm. etiam ex C. Flor. ubi in cit. Decreto Eugenii §. primum autem, ita habetur: Si exprimitur actus, qui per ipsum Ministrum exercetur, cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum: ergo hoc non perficitur omissis verbis: te baptizo, his enim exprimitur actus. Secundo necessario exprimenda sunt, In Nomine P., et F., et S. S. Vide n. 18. Confirm. 1. ex CC. modo cit. Adde 1. C. Nic. quod ratum habuit Baptismum Novatianorum, irritum vero Paulinianistarum: *Ratio* (ait *Innoc. I. Epist. 21. ad Episcopos Macedoniae C. 5.*) *manifesta declarat, quia Paulinianistae in nomine Patris etc. minime baptizabant, et Novatiani iisdem tremendis Nonnibus baptizabant.* S. Aug. super Ps. 86. ait: *Non vocatur, nisi per Baptismum in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Idem confirmat C. Trid. sess. 7. can. 4. cit. n. 54. *Ratio congruentiae est, quia Baptismus est Sacramentum Fidei et introitus in Ecclesiam Christi: ergo cum mysterium Trinitatis sit praecipuum et primarium objectum fidei, ejusdem professionem explicitam fieri convenit in Baptismo.* Plura vide apud *Suar.* in P. 3. D. 21. Sect. 3., *Laym.* L. 5. t. 2. C. 4. objectiones solutas dabit Theol. Schol.*

132. *Princ. III. In necessitate omnis homo rationis compos sive vir, sive mulier, sive fidelis, sive infidelis non tantum valide, sed etiam licite baptizat, modo cum debita intentione applicet debitam materiam et formam.* *Nemo tamen in quacunque necessitate valide se ipsum baptizat.* Licite autem, extra casum necessitatis, baptizandi potestas competit Sacerdotibus et ex commissione Episcopi vel Sacerdotis etiam Diaconis. Prima pars diserte habetur in C. *Flor.* in Decr. *Eugenii* his verbis: *In casu necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest.* Secunda pars, quod nemo se ipsum baptizare possit, patet ex c. *debitum 4. de Baptis.* et ejus effectu, ubi *Innoc. III.* rationem assignat: tum quia Christus non a se ipso, sed a Joanne baptizari voluit, tum quia nemo generat se ipsum; denique quia Christus Apostolis praeceperit, ut ipsi alias baptizarent. *Tertia pars eruitur ex Flor.* cit. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare:* quod quidem officium habet ex speciali consecratione.

133. *Adverte.* Extra necessitatem non licet cuilibet Sacerdoti baptizare, ut nec solemniter, sed soli proprio Sacerdoti, et ex commissione

Sacerdoti alteri, vel Diacono; quia collatio Baptismi et admissio ad numerum Fidelium, ad communicationem Sacramentorum est actus jurisdictionis, non quidem talis, ut inde pendeat valor Sacramenti, sicut valor absolutio- nis dependet a jurisdictione, sed tantum, ut Baptismus extra necessitatem conferatur licite per Sacerdotem proprium. Per Sacerdotem autem proprium hic intelligitur Summus Pontifex respectu totius Ecclesiae, Epis- copus respectu suae dioeceseos, Parochus respectu suae Parochiae.

134. *Principium IV. Subjectum Baptismi valide suscipiendi capax est omnis homo vivens, viator, nondum baptizatus.* *Dixi: Omnis homo vivens: nam Christus Matth. 28. praeceperit Apostolis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.*; item Baptismus omnibus est necessarius ad salutem; *Nisi enim quis renatus fuerit etc.* De parvulis definit *Trid. sess. 7. can. 12. de Bapt.* *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.* Vide seq. can. 13. et 14. *Origenes* in c. 6. epist. ad Rom. ait: *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis Baptismum dare.* *Confirm. 1.* Quilibet homo potest ingredi Ecclesiam, et reddi capax reliquorum Sacramentorum, quod fit per Baptismum: ergo. *Conf. 2.* Quilibet homo est capax characteris baptismalis, gratiae sanctificantis, et salutis aeternae: ergo etiam Baptismi, quo ista obtinentur. *Hinc S. Th. hic q. 68. a. 1. ad 3. ait.* *Si aliqui nunc in utero sanctificantur, necesse esset, eos baptizare, ut per suscep- tionem characteris aliis membris Christi conformarentur.* Quid requiratur in adulto ad valide suscipiendum Baptismum, vide n. 98., quid ad licite et fructuose suscipiendum vide n. 100., ubi diximus, quod in adulto requiratur ad baptismum valide suscipiendum intentio vel actualis, vel virtualis, vel habitualis, id quod solide confirmamus hic ex *Epist. Bened. XIV.* ad Archiep. Tarsen. quae habetur in Tom. II. ejusd. Bull. pag. 186. et incipit: *postremo mense;* ubi §. 43. contra eos, qui cum Glossa in Can. solet, de consecr. dist. 4. affirmant, intentionem requiri in Ministro tanquam agente, non in suscipiente baptismum, tamquam paciente, respondet cum *S. Th. 3. P. ad q. 68. a. 7.* *Ergo dicendum, quod in Justificatione, quae fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria; et ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur:* et §. 44. statim subdit: *Cum ergo voluntatis sive intentionis in adulto, quoad Baptismum, necessitas certa sit, is debet ideo interrogari etc.* ibid. §. 45. resolvit: *Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi non quocumque lavacrum, sed unice Ecclesiae proprium ac peculiare, Baptismum esse validum dubitari non potest.* §. 46. *Verum si quis Baptismum accipiens praesenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis suscipienda lotionis, qualis in Ecclesia frequentatur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret.* Nam ubi nulla praecesserit retractatio, et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum Sacramentum. *Hic casus ad eos spectat, qui ante fuorem vel somnum, Baptismum petunt, accipiunt vero, dum aut insania vexantur, aut somno indulgent, et hoc genus hominum valide baptizatum dicitur in Conc. Chartag. III. cap. 34.* Eadem resolutio habetur in c. *Majores.*

Ad quaestionem, an censendus sit valide suscepisse baptismum, si quis nec abnuens, nec consentiens, neutra scil. voluntate baptizaretur, ibid. §. 48. cum *Scoto, Sylvio, Valentia, et Card. Lauraea* contra *Cajetanum* affirmat, non sufficere, quod quis neque sit volens, neque nolens, quia talis non habet intentionem recipiendi Sacramentum. Ibid. ad objectionem *Cajetani* ex c. *Majores*: (ubi *Innocentius III.* ait: *tunc characterem Sacramentalis imprimat operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsis-*